1

Lucas syrus natione antiochensis. arte medicus. discipulus
apostolorum postea paulum secutus usque ad confessionem eius serviens domino sine
crimine. Nam neque uxorem umquam habens neque filios. lxxiiii. an
norum obiit in bethania. plenus spiritu sancto. Qui cum iam essent scripta evan
gelia per matheum quidem in iudea. per marcum autem in italia. sancto insti
gante spiritu in achaie partibus hoc scripsit evangelium. significans etiam ipse
in principio ante alia esse descripta. Cui extra ea quae ordo evangelice dispo
sitionis exposcit ea maxime necessitas laboris fuit. ut primum grecis
fidelibus omni prophetatione venturi in carnem dei christi manifestata humani
tate. ne iudaicis attenti fabulis in solo legis desiderio tenerentur. vel
ne hereticis fabulis et stultis sollicitationibus seducti excederent a veri
tate elaboraret. dehinc ut in principio evangelii iohannis nativitate presumpta
cui evangelium scriberet. et in quo electus scriberet indicaret. contestans in se comple
ta que ab aliis essent inchoata. Cui ideo post baptismum filii dei a perfectione
generationis in christo implete et repetende a principio nativitatis humane
potestas permissa est. ut requirentibus demonstraret in quo apprehen
dens erat per nathan filium introitu recurrentis in deum generationis ad
misso indisparabilis dei ut predicans hominibus christum suum opus perfecti
hominis redire in se per filium faceret qui per david patrem venientibus iter prebebat
in christo. Cui luce non inmerito etiam scribendorum actuum apostolorum potestas in ministerio datur ut
deo in deum pleno et filio perditionis extincto oratione ab ipsis apostolis facta sorte domini
electionis compleretur numerus. Sicque paulus consummationem apostolicis actibus
daret. quem diu contra stimulum recalcitrantem dominus elegisset. Quod legentibus ac re
quirentibus deum et si per singula expediri a nobis utile fuerat sciens quod operantem
agricolam oporteret primum de fructibus suis edere vitavimus publicam curiosita
tem. ne non tam volentibus deum demonstrare videremur quam fastidien
tibus prodidisse.

Dieses Blatt war auf den
Deckel aufgeklebt.
Losgelöst Jan. 1924 R.